

IVDICIVM DE COMETIS.

denotant. Naturalis signi exemplum est fumus, itemq; Iris uespertina. Ille enim ignē, hęc diei sequētis serenitatem indicat. Plurimū enim dies postea est serena. Tale quoq; signū est rubens vesperi cœlū: quod ipsum quoq; sequentem diem serenum fore prædicat. Signi artificiosi exemplū est Lapis, quē Terminū appellamus. Est enim signū artificiosum distinctionis agrorū ex pacto & conuento hominū. Sic enim conuenit inter eos, ut certo positus loco agrorum fines disterminet. Tale quoq; signū est Iris, non quidem ab hominibus, sed à Deo institutū: quo admonemur, mundum porrò aqua non esse perendum. Sicut lapis ex natura sua non definit agros, sed ex hominū consensu, ita Iris non ex propria sua natura, sed ex pacto & promissione diuina signum facta nobis est mundi nō amplius diluuiō perituri. Sed de artificialibus signis postea, nunc de naturalibus agemus.

Si Cometa signum est naturale suprapositarū rerū, necessarium est, ut uel sit causa rei significatæ, uel eiusdē effectus, uel quiddam ab eadem illa causa profectū, à qua res significata itidem efficitur. Si quis ex eorum numero, qui docti uideri uolunt, Cometam facit naturalē causam bellorum, quæ consequentur, aut rerū aliarum consimilium, satis probat se inscientem esse, aut de his rebus minimum cogitasse. Quibus enim machinis efficiat uapor iste ardens, ut armis concurrant mortales ad mutuam cędem? Difficile hęc est, uel fingere aliquid uerisimile. Atamen conati sunt aliqui modū exponere. Cometæ, inquit, de sententiā Aristol. efficiunt aeris siccitatem & caliditatem. Ab hac constitutione corpora exsiccari, inflammarī, & omninō grauitē lædi oportet: maximē debilio-
ra & delictiora. Hinc ergo bella & morbi pestilentes suscitātur, Principūq; mortes cōsequūt. Etenim hi præ alijs delicate uiuūt, in ocio degūt, victus ratione praua utūt, et nec laborib. nec aeris iniurijs pferēdis se assuefecerūt. quocirca citius alijs patiūt. Hinc bile in eis aucta, humoribusq; inflāmatīs, facile irritati excādescūt, et bella mo-